

ria omninò mecum facere ostendereque debuisset, quid in probatione mea Biblica ille desideraret; quemadmodum etiam *Ψευδεργωνείαν* Arii illaque Scripturæ loca, quibus probaret Filium esse Patre minorem, indicare necesse habuisset, si quid adversus me hæc via obtinere voluisset. Sed ille de novo invento suo in sinu quasi gaudens planeque securus, nihil horum facit; potius eadem arte, paucissimis omninò verbis, subsidium, quod Antiquitas orthodoxa in doctrinâ illâ vere Catholicâ de Filii *ὁμοσσία* nobis submittit, statim rejicit: *Rationes*, inquit, (1) *etiam Ecclesiastica, quas pro CHRISTO adducis ex autoritate Patrum, sunt falsi nominis ac spuria, nullus asserit Filium esse Patri consubstantialem; quod bisce respondebit Alberti, idem ei respondemus contra sua argumenta.* Quasi verò ex Clemente R., Dionysio Areopagita, Liturgiis Apostolicis aliisque similibus nullius aut dubiæ fidei documentis pro Deitate Filii, sicut Pontificii pro Sacramento Confirmationis, pugnaremus. Nostri sunt prisci Catholicæ Ecclesiæ Doctores omnes; nostra, integra Oecumenica Concilia; imò à tempore Niceni I. plena deinceps inter Catholicos & extra controversiam posita fuit istius dogmatis assertio; nec jam canalibus & rivis, sed torrentibus & fluviiis effusa, totam inundavit Ecclesiam; ceu verè non minus, quàm eleganter scribit Petavius, (x) Parisiensis Theologus, & quo nescio (judicio Gasfendi, (λ) inter doctissimos Gallia Scriptores haud postremi,) *an habeat erudita Jesu societas doctiorem.* Sed Hagemannus nullo alio modo medioque commodius
uti

(1) *Cap. 8. artic. 1. ibid.*

(x) *In Præfat. Tom. II. Oper. Theol. dogm. cap. I, 8.*

(λ) *In vita Peirescæ Lib. 3. pag. 255.*